UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Michael Archang. 29. Septemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

cælum. Sceleris conſcia mulier à dæmone corre-
pa ultrò ſe ſtitit, & crimen faſſa innocentes om-
tes abſolvit. Porrò LIOBÆ de Deo illi fuère ſer-
mones, ut hos Imperatoriæ Caroli M. & conjugis
auguſtiſſimæ aures ſitirent. Miris etiam poſt mor-
tem plurimis, multis etiam in vitâ claruit. Inter
hic illud memorandum, quòd tempeſtatem ul-
tima minitantem urbi crucis ſigno fugavir, CHRI-
ſtiqve & MARIAE nomine omne cælum ſerena-
vit. Et verò ad geminos ſoles cur non nubes fu-
gerent? *Ex Surio.*

Si propriam gloriam quæris, florenti invides, ab-ſenti detrahis, reponis lædenti te. Hoc Chriſtus non fecit. Confiteris te noſſe Deum, factis autem negas; non rectè, non planè, ſed impiè; linguam Chriſto animam dediſti diabolo. S. Bern. ſerm. 24. ſup. Cant.

S. MICHAEL ARCHANG. *29. Septemb.*

MICHAELEM vides Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium domitorem: Numinis ad mortales principem legatum, horum ad cælos ductorem fidiſſimum, operumq; æquiſſimum libripendem. Tam benè itaque de ſe merito Chriſtiana Reſpub. jam olim trophæa, aras & templa ſtatuit. Nam ut montem Garganum, cujus alibi mentionem fecimus, hîc taceam, D. Ioannis Apoſtoli ætate MICHAELIS nomen, quòd ſalutiferas in hominum uſum aquas eduxiſſet, apud complures populos celeberrimum fuit. D. etiam Autbertus ſub annũ Chriſtianũ DCC. IX. ita jubenti MICHAELI ædem in rupe, quam mare undique alluit, exædificavit. Imp. deinde Conſtantinus, cum ejus auſpiciis hoſtes ſuos omnes devici ſlet, gratitudinis monumentum ſplen-

didiſſi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

didiſſimum templum poſuit, cujus exempli ſui heredes viros deinceps principes permultos, ſed noſtrâ potiſſimùm tempeſtate habuit. Vidit certè Bavaria in eam magnificentiam ſacra D. MICHAELI tecta exſurgere, ut aut has ædes terra dignas aut nullas habeat, quas cæli Princeps poſt cælum incolat. Quamvis, ſi verum loqui velimus, non tam Angeli nobiſcum, quàm nos ſecum habitare percupiant.

Quantâ ſolicitudine nobis opus eſt, ut dignos nos exhibeamus Angelorum frequentiâ, & eo modo conversemur in conſpectu eorum, ne fortè ſanctos offendamus obtutus? Væ enim nobis, ſi provocati peccatis noſtris indignos nos judicaverint ſuâ viſitatione. S. Bern. S. 1. de S. Michaele.

S. HIERONYMUS D. ECCL.

30. Septembris.

FUit HIERONYMUS natione Dalmata. Mundum pænè omnem cùm luſtraſſet, neque uſquam hic arrideret, pedem extra mundum tandem poſuit, hoc eſt, ad Anachoretas tranſiſſit. Hîc dum identidem profanos adhuc ſcriptores lectitat, evocatus ad divinum tribunal, quis ſit? rogatur. Reſpondet Chriſtianum ſe eſſe: at negat judex, Ciceronianum eſſe dictitans, non Chriſtianum; ſimul mendacii convictum cædi tamdiu imperat, dum vitæ emendationem HIERONYMI cælites vadimonium ſpondent. Et certè amplius quid fuiſſe quàm ſomnium ſparſæ paſſim per omne corpus plagæ loquebantur. Quid jam mirum, ſi exinde, quidquid demum ageret HIERONYMUS, auribus tuba illa fatalis obmurmurabat, oculiſque vindex ille judex oberrabat? Porrò in more poſi-